



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Westphalia Sancta, Beata Et Pia, Sive Vitæ Eorum Qui sua sanctitate et piis exemplis Westphaliam illustrârunt**

Complectens eorum vitas, qui certò aut verisimiliter Natione Westphali  
reperiuntur cum titulo Sancti aut Beati

**Strunck, Michael**

**Neuhusii, 1715**

S. Hadwigis Abbatissa Hervordiensis in Westphalia, filia S. Idae

**urn:nbn:de:hbz:466:1-28481**

que sacrificale linteum, sive corporale, ut vocant, quod, cum ab eo post elutionem sacræ supellectilis lineæ tendendo plicandóq; dilaceratum esset, non multò post sine ullius rupturæ vestigio sartum integrúmq; repertum est.

---

## S. HADWIGIS

### Abbatissa Herivordiensis

in Westphalia.

*Refertur cum titulo Sanctæ à Nicolao Schaten to 1. annal. Paderborn. ubi etiam testatur pag. 155 eam ab obitu inter Divas cultam, ejusq; ossa venerationi publicæ exposita fuisse usque ad annum 1531 quo Herivordia à Luthero & ejus asseclis insideri cepit. Fuit soror S. Warini Abbatis Corbeiensis in Westphalia, de quo postea, & Cobbonis Comitum, quem aliqui volunt fuisse primum Comitem Tecklenburgensem. Constat hoc ex Meibomio in notis ad l. 3. annal. Wirichindi Monachi Corbeiensis, ubi citat pro se Ertvvinum Ertmannum in Chronico Osnabrugensi his ex eo desumptis verbis: Quidam Comes ditissimus Cobbo, Germano (fratri) nomine Werin in monasterio Huxariensi Abbati, & sorori in puellarum cœnobio Herivordensi Abbatissæ &c. Unde jam*

ulterius sequitur eam fuisse filiam venerab. Egberti & S. Idæ Comitum Westphalia: nam Warini his parentibus genitum esse testatur historia transl. S. Pusinnæ Virginis apud Continuatores Bollandi in actis ss. 10. 3. Aprilis ad diem 23 mensis hujus pag. 171. n. 2. Imò adhuc clariùs expressiùsq; illud constat ex eadem historia paulò post: cum enim vetus author ibidem n. 2. in fine fratres S. Idæ dilaudasset à claritate generis & dignitatibus maximis apud exteros domesticosq; , statim de Hadwige subdit n. 3. sub initium: Horum ergo neptis, utpote ex eorum sorore genita, ad regimen Herivordensis Ecclesiæ promotæ, &c. Cæterum Egbertus & S. Ida Westphalia Comites floruerunt sub annū Christi circiter 800, habitaruntq; Hovestadii ad oram præter labentis Lupiæ horis pene tribus ab urbe Lipstadio, uti præter Schaten in Hist. Westphaliæ ad hunc annum, & Turckium in Hist. Ms. etiam testatur Gamsius apud Bollandum in Commentario prævio ad vitam B. Godefridi Comitis Capenbergensis to. 1. Januar. § 5. n. 18 ubi inquit: Hovestadt Hertzfeldiæ adjacens Egberti curia fuisse creditur, & Eckelburg vicus cum arce quasi Egberti burgus.


**N**ata est S. Hadwigis piissimis parentibus Egberto & S. Ida, qui à Carolo Magno

Magno Westphaliæ Comites ad Lupiam constituti, sedem dominatûs sui tenuerunt in castro Hovestadt, olim à statione aulæ curiæq; suæ ita nuncupato. Hæc à teneris annis maternæ pietatis exemplo ducta, unius Dei servitio se totam tradidit; & quia per idem tempus Hervordia Virginum Canoniarum Collegio ac sanctitate florentissima erat, rejectis, quas in sæculo sperare poterat, opulentis nuptiis eodem convolavit, ut vitam istic inter assidua devotionis exercitia ab omni vitiorû aspersione puram & intaminatam ageret. Nullus ipsi ad vanitatem & illecebras mundi affectus erat; sola voluptas servire Deo, & sacris officiis interesse: quippe quæ semper animo tenebat infixum illud S. Barlaami ad Josaphatum: *Mihi nullo omnino modo inter vita annos censentur, qui in hujus mundi vanitate consumpti sunt.* Neque ab hoc devotionis fervore quidquam decedere passa est etiam tunc, cum in eodem Hervordienli Collegio dignitatem Abbatissæ, regiménque supremû consecuta esset: imò potius in id incumberebat unicè, ut pro suo ac subditarû spirituali profectu Ecclesiæ suæ procuraret corpus talis alicujus sanctæ Virginis, quæ ob vitam extra Monialium claustra piè transactam, sibi &

virginibus omnibus ibidem Deo servituri  
 ad exemplum & imitationem proponi pos-  
 set. Suggerebatur eam in rem S. Pusinna,  
 quæ in Galliis haud procul à Corbeia Fran-  
 cica, in vico Bansionensi miraculorum gloria  
 plurimum effulgebat, coliturq; die 23 mensis  
 Aprilis. Hæc enim Virgo Sancta, ut in ejus  
 vita fusiùs legi potest, à primis annis piissime  
 instituta per Eugenium Sacerdotem, voto ca-  
 stitatis perpetuæ sese illigaverat unà cum sex  
 sororibus eodem patre ac matre genitis. Nul-  
 li Monialium claustro adscripta, in fide, spe,  
 charitate, jejuniis, vigiliis, oratione & elec-  
 mosynarum largitione Deo deserviverat :  
 nunquam nisi summa necessitas coëgisset, alio  
 prodierat in publicum, quàm ad Ecclesiam,  
 ubi divinis laudibus officiisq; solebat intere-  
 se : oculos suos ab omni curiositate rerum  
 sæcularium, aures à vanitate sermonum in-  
 utilium, linguam à multiloquio, animum ab  
 affectu & immunditia carnis sollicitè custodi-  
 verat : tempus quod ab oratione & piis me-  
 ditationibus superfluebat, aut labori manu-  
 um, aut lectioni sacrorum voluminum studio-  
 sissimè impenderat, semper veritate vel mo-  
 mentum horæ sibi elaberetur sine fructu &  
 utilitate suæ animæ : nullas coluerat amici-

tias aliorum hominum, nisi quos rerum spiri-  
tualiū studio addictos esse comperisset: nun-  
quam sub horam quietis vespertinæ lecto so-  
mnòq; se commiserat, nisi prius oculo mentis  
sux horas omnes diei præteritæ accuratè per-  
lustrâset, expendissetq;, rectè an secus de-  
cursæ essent. Verbo, omnium devotarum  
virginum, Deo extra cœnobia servientium  
sidus & exemplar fuerat tantò illustri⁹, quan-  
tò difficilius est in mundo & sæculo mundi sæ-  
culiq; delicias non degustare. Quamobrem  
cùm pro zelo ac fervore suo probè intellige-  
ret, ejusmodi vitam imitationi ac instituto sæ-  
cularium virginum prorsus accommodatam  
esse, à Carolo Calvo Rege Franciæ hujus S.  
Pulinnæ corpus magnis desideriis flagitare  
cœpit. Nec erat admodum difficile hujus  
animum in sua postulata flectere, sive quòd  
ipsa aliquo consanguinitatis gradu Regem  
contingeret, sive quòd Cobbo Hadwigis fra-  
ter eidem in regali aula ac palatio quoti dia-  
nis obsequiis adhæreret. Conceditur expe-  
ditum corpus, permittitur ejusdem in West-  
phaliam facienda translatio, magnis lætitiis  
apud omnes excipitur regiæ donationis nun-  
tius, pignus sacrum immenso populorum af-  
fluxu Hervordiam deducitur, ibidémq; in

Ecclesia Virginum Canonicarū ab Episcopo Paderbornensi collocatur anno Christi 860. Nemo tamen erat lætior hoc accepto pignore, quàm Hadwigis Abbatissa, cui potissimum in votis fuerat talem thesaurum consequi. Præterquam enim quòd ex eo tempore magnus ibidem his reliquiis honor fuerit, ipsa deinceps ad exemplar S. Pusinnæ rationes vitæ suæ ita composuit, ut quidquid in hac imitandum occurrebat, in ipsa pariter velut in speculo aut imagine viva refulgeret. Diem & annum, quo Hadwigis vitam clausit, uti & cætera ejus virtutum ac sanctitatis documenta non licuit hæctenus reperire. Ejus ossa, quæ sanctorum ritu iterum excepta tumulto & usque ad annum 1531 publicæ venerationi exposita fuere, invalescente Lutheranismò à matrona quadam nobili & Catholica decenter collecta sunt, & multò post Collegio Monasteriensi Patrum Societatis JESU dono data; ubi (ut testatur Nicolaus Schaten to. 1. Annal. Paderb.) in hunc diem asservantur.



HAD-